



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XIII. De iure regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO CHRISTI 1050. violenter abstrahere , nec persequi infra dextros ecclesiæ , qui sunt triginta passus , sed sublato mortis periculo , & corporis deturbatione , faciat quod lex Gothica iubet . Qui aliter fecerit , anathema sit , & soluat episcopo mille solidos purissimi argenti .

XIII.

Tertiodecimo titulo mandamus , ut omnes maiores & minores veritatem & iustitiam regis non contemnant , sed , sicut in diebus domini Adefonsi regis , fideles & recti persistant , & talem veritatem faciant regi , qualem illi fecerunt in diebus suis . Castellani autem in castella talem veritatem faciant regi , qualem fecerunt Sancio duci . Rex vero talem veritatem faciat eis , qualem fecit præfatus comes Sancius . Et confirmo totos illos foros cunctis habitantibus Legione , quos dedit illis rex dominus Adefonsus , pater Sanciæ reginæ vxoris meæ . Qui igitur hanc nostram constitutionem fregerit , rex , comes , vicecomes , maiorinus , sago , tam ecclesiasticus , quam sæcularis ordo , excommunicatus , & a consortio sanctorum segregatus , & perpetua damnatione cum diabolo & angelis eius damnatus , & dignitate sua temporali sit priuatus .